



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

Provinciae Francia, Et Aqvitania.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66514](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66514)



mus, quorum quadringentos donauit Dux Ranusius Farnesius, qui paternæ virtutis heres, ita nos colit, vt in eo viuere credamus Alexandrum. Porro Mutinenses non stabiliti minus annuo reditu trecentorum aureorum, & situ accomodatioris nostris vsibus, quam robore sacrorum ossium, quo templum, & firmatum est, & exornatum. Ea fuere bina capita alterum vndecim millium virginum, alterum ex cohorte Sancti Gereonis, duæ item tibiæ militum Thebæorum, quæ omnia cum Pontificis, & Archiepiscopi litteris Colonia nobis dono sunt allata.

## PROVINCIAE FRANCIA, ET AQUITANIA.



**I**EMPORVM calamitas, ac bellici tumultus, quibus afflictæ est hoc anno vniuersa Gallia fecerunt vt itinera infestæ essent suspicionibus, militibus, latronibus, omnia interciperentur, quare & ipsû literarum commercium, aut nullum fuit, aut admodum tenue, atque periculosum. eam ob causam in duabus Prouincijs Francia, & Aquitania, neque mitti, neque colligi de more po-

re po-



re potuit rerum nostrarum commentarius. Peruenerunt in urbem quedam capita, quae priuatis literis ad suos Prouinciales direxerant Rectores quorundam Collegiorum, quae infra nominabimus. ne & illa intereant. ex ijs redacti quasi in vnā prouinciam, nos mutilem illud quidem, & mancum, sed vt potuimus vnum quasi corpus confecimus. Petrocorium & Residencia S. Macarij ad Aquitaniam pertinent, reliqua ad Franciam.

Quare habuit hinc annus in Parisiensi Collegio duos & viginti. adscripsit in Societatem quinque. habuit in Augensi octodecim. decessere duo. in Musipontano habuit octo. obiere Sacerdos, & Socius qui singularis obedientiae, qua precellebat fructum in morte percepit. in ea insignem coniunctionem cum Deo praese tulit, insignem sanctimoniam. illustres egredere, defixus in crucis osculo, & magna consolatione perfusus clamabat, satis est domine, satis est. octo item habet Residencia S. Macarij, qui scholis duabus Grammaticam docent, eius rudimenta, atque prima elementa literarum. ex his Gasso Tornerius insignibus documentis patientiae, pietatisque relictis; caeteri destituti omni humano solatio; cum propter communem temporum calamitatem, atque itinera varijs infesta latrocinijs, neque conspectu perfrui potuerint ipsius Patris Prouincialis. multos habet inimicos, obtrectatores, innidos,



inuidos, qui societatis fortunis inbiant, & nouis quotidie machinationibus, nostrarum patientiam vel augent, vel exercept. ex hoc eo maiora experiuntur domi, forisque diuina in se benignitatis argumenta. in urbe si quidem solita ministeria cum fructu exercuerunt. & varijs itineribus ab hostibus, vel non inuenti, vel non cogniti, vel non iniuricissime tractati, nonit dominus imbecillitatem nostram. In Pe-  
coriensi vnus obitum suppleuere quatuor.

### Noua Collegia.

**R**othomagenses octo mensibus arctis simam obsidionem pertulerunt. cum primum ab ea liberati sunt virtute Ducis Parmensis, perfecerunt quod plurimos ante annos de nostris accersendis animo destinauerat. quare de communi Decurionum plebis, magistratuum, & duodecim virum vrbis, aliorumque sententia, deque senatu Rothomagensis grauisima auctoritate statutum, vt ad nos literæ mitterentur, quibus Societatem accerferent, Collegium peterent, & omnia ad illud instituendum necessaria pollicerentur. P. Prouincialis eorum votis satisfaciendum ratus, quod Vrbs frequentissima totius Nortmannie caput, studiosissima auitæ religionis, fructus polliceretur vberrimos; accersito iusto nostrorum numero auspiciatus est Collegium.

**D** Fun-



50 PROVINCIAE FRANCIÆ,  
Fundationem Collegij Penocoriensis stre-  
pue Ciuitas urgebat. quoque tempore perfe-  
cta videbatur, proxima periculo fuit; cum to-  
ta vrbs montuosa sit, & aspero situ, nobis in  
radice collis partem assignauerant, in qua fue-  
rat ante Gymnasium, & insalubrem esse iu-  
dicabat natura loci, & nos hospitij triennialis  
experientia didiceramus. quare inter cæteras  
conditiones necessarias, ædium commutatio  
proponenda fuit. res visa difficilis propter  
vrbs angustias, & exhaustum diuturno bel-  
lo erarium difficultatem augebant aduersa-  
rij, nobis vehementer nomine fidei, atque reli-  
gionis infensi. & ea vsi occasione negotium  
euertissent, nisi omnium honorum, & Magi-  
stratum in primis liberalitas, prudentia, vir-  
tus represisset impetus iniquorum, & au-  
reis mille ducentis coemisset binas quasi insu-  
las collegio proximas, quibus, & laxarentur  
angustia loci, & ædificium altiore loco, salu-  
briore cælo excitaretur. quare decima quinta  
Kalendas Nouembris, qui dies Sancti Lucae  
atque instaurationi studiorum solemnis esse so-  
let admissum Collegium, & celebrata funda-  
tio carminibus, Dialogis, Orationibus, Præ-  
mij, summa gratulatione Magistratum, to-  
tiusque populi; atque discipulorum in primis,  
qui, sex clasibus quadringenti fuere. tamque  
felicibus inijis ita similes consensere progres-  
sus; vt ipsi hæretici nostram iuuentutis insti-  
tuenda



quendationem admirati, Societatem suis in  
urbibus optent: modo concionibus abstineant;  
hoc est eorum fictam impuram, captiosam-  
que religionem non detegant.

Congregatio, Scholæ, Mis-  
siones.

**P**etrocorij instituta Congregatio Deiparæ  
Virginis, in qua nonnulli eximia præbue-  
runt pietatis, misericordiæ, & castitatis exem-  
pla.

Quidam cum iam tres & viginti annos,  
ut quotidie recitare coronam B. Virginis, eius-  
que diebus festis obire sacramenta solitus es-  
set, semel incuria quadam piam hanc consue-  
tudinem intermisit; nocte, quæ diē illū conse-  
cuta est, homini dæmon manus iniecit, & ne-  
scio quo raptabat; cum præsto fuit B. Virgo  
quæ eum in diuersam partem retraxit. beni-  
gna, quod inimicum à suo cliente repulit; for-  
tasse benignior, quod inimicum in clientem im-  
miserit, nam eo terrore in eius animo magna  
diligentiæ, constantiæ, pietatis cæterarumq;  
virtutum semina excreuere.

Frequentant scholas Parisienses septingen-  
ti, viginti. plures Mussipontanei, & inter  
eos Henricus Lotaringiæ familiæ princeps.  
Virodunenses octo ordinum Nouitij. Cum



32 PROVINCIAE FRANCIA,  
certo die lectio habeatur de religioso hominis  
officio, magno omnium emolumēto, alios mul-  
tos e cœnobio ad audiendum elicuerunt.

Rogatu Vademontari, Comititis, qui filius  
est Lothoreri ducis septem mensibus Verodu-  
no secutus est castra noster Sacerdos. illi fuit  
a Confessionibus, quas obire frequēter solet.  
fuit magno solatio, agris, moribundis, militi-  
bus, quos ab iniurijs, rapinis, ab ædium & in-  
verdum pagorum incendijs auertit.

A Niuernensibus quasi furtim excursum  
est ad aliquot nobilium familias adiuuandas;  
cum in tanta rerum perturbatione libere pa-  
gos de more peragrare non liceat. Itum in op-  
pida vicina Mussiponto solitis laboribus,  
& fructu. illud insigne. Tulli, (id oppido no-  
men,) confirmare pax inter duos Duces, qui  
de singulari certamine serio agebant, nullisq;  
principum virorum precibus, nullis minis  
abduci a suscepto consilio poterant. Nome-  
niacum (id quoque oppidi nomen) pulsandi  
salutationem Angelicam vsus introductus.

Excurrebant bini, Rhemos Campatiræ vr-  
bem principem cum potestatem explicandi ca-  
techismi, a Cardinali Peluæuo peterent; non  
modo libentissime concessit, commodissimum  
templum attribuit; sed ut primæ explanationi  
ipse præsens interesset, eamque publice pro-  
baret commendaretque civibus; initium fieri  
voluit post concionem in summa vrbis æde.

Adfuit



Adfuit Princeps puer Gbifianus, qui antea  
 domi paratus, apposita, & prompta respō-  
 sione, munus illud ad ceteros puerorum exem-  
 plum mirum in modum sua dignitate cohone-  
 flauit, ex his alter Anglus octogenarius cum  
 muneribus Missionum solitis totam sibi vr-  
 bem deuinxisset, periculoso admodum morbo  
 tentari cepit. agrum inuisunt multi, suaque  
 in domicilia, vt migret, efflagitant, sed hone-  
 stissima, nobilissimaq; matrona tantum apud  
 omnes precibus, atque auctoritate valuit, vt  
 in eius palatium senem, vel inuitum asporta-  
 uerint. quem ipsa quasi altera Placilla non  
 secus habuit atque patrem; totam in eo fami-  
 liā occupauit, nullis pepercit sumptibus, nul-  
 lis laboribus nihil officiosissimæ diligentia  
 prætermisit, quoad prorsus depulsus est mor-  
 bus. cumque Pater discederet ad eius pedes  
 abiecta supplex veniam petijt si quid a se vel  
 a suis negligentius esset admissum.

Erepti ab hæresi, atq; a Dæmone.

**M** Vrsiponti cū Ecclesia reconciliati tres.  
 Verduni iuuenis, qui hæresim cum la-  
 ðe materno hauserat.

¶ Petracouij mulier quædā pœne ad amētiā per-  
 uenerat mœrore filia, quā mors eripuerat. hac  
 occasione diabolus varias indutus formas,

D 3 sua.



## 94 PROVINCIAE FRANCIA

suadet omnibus artibus, vt ei se tradat: modo se pulcherrimū ostendit, filiam summas opes, atque diuitias pollicetur, aperit occulta aliorum peccata facta, consilia secretissima, modo strepitus horrificos, atque terrores admouet, eam in sublime ita abripit, vt summa vi tecto percusso in capite plagam acciperet, ferit colaphis, lapidibus; alios quoque domesticos, externos, qui plurimi ex vicinia concurrebāt ad spectaculum petit lapidibus, quosdam sauciat pro signis vulnerum adustiones, ac molestissimum nidorem ignis relinquit, omnibus exaudientibus strepitum, cernentibus volatū lapidum, auctorem vero nullū vidētibus. magna contentione orationum, atque pœnitentię impetrauimus a Deo, vt fœminæ daret sacramenta suscipiendi facultatem, dedit. ijsque susceptis abactus omniuo diabolus.

### Repressa impietas in parentes.

**L**ibet & illa ad multorum documentum adscribere. Filius ibidem dum altercatur cum matre, illam colapho ledit, additque eam imprecationem, Vtinam manifeste Deus ostendat vter nostrum culpam, iniuriamue sustineat. nocte manum vtramque ita arctè sibi ligari atque constringi sensit, ab eo, quem non videbat, vt paulo post abscissum iri. videretur. exprimunt clamores dolor, timor, sed non ante



ET AOVITANIA. 55

ante destitutum est, quam suggerente consciētia, supplex veniam petit à matre, & illa tandem miserata filio condonet. redeunt paulo post ad ingenium. dumque simul altercantur musca inusitata magnitudinis lumen extinguit, & iniecto terrore, altercationem dirimit; rixantur iterum, redit musca eadem longe molestior, diu noctuque, domi, extra domum, in via, in vrbe, in agro etiam atque etiam vtrūque diuexat omnibus videntibus, atque contremiscentibus ad conspectum tantuli animalis; quod non obscure Dei vindicem esse, aut fortasse diabolum intelligebant. donec de nostrorum consilio, vere pacificari, & confirmari sacramentis, suas vterq; partes implere pietatis, atque caritatis instituit. & abactum est aqua lustrali importunum animal.

Alius magis etiam in matrem viduam, impius; eam a sua coniuge, ab ipsa ancilla, ita perpetuo contemni, contumelijs onerari, atque pessundari permittebat; vt misera prope versa in desperationem, cohibenda fuerit a nostris quo minus sibi mortem inferret. filius ab ysdem obiurgatus, & propositis Dei minis exemplisque, officij sui cōmonitus: nihilo melior est factus, sed paulo post ad sūmā delapsus impietatem, magna omnium offensione eam insimulatam neglecti pudoris, in capitis iudicium vocat. hic Deus, vt doceret filium impium, in parentem iniquum adoritur febris filiolum.



56 PROVINCIAE FRANCIA  
quam ipse vnice diligebat; neue casu factum  
existimaret, nocte intempesta qua sopor arctis-  
simus omnes habebat, intimi eius cubiculi fo-  
res pulsari cepte sunt tanto fragore, vt tota  
domus cōtremisceret. de lecto omnes exiliūt.  
accensis facibus. arreptisque armis singula lo-  
ca curiose lustrantur: sed omnia inuenta, vt  
fuerant obserata. clauibus, vette pessulis, nul-  
lum vestigium furis, aut hostis. domesticis ti-  
mor in admirationem conuersus. ipse vero  
Deum timere cepit, non homines. illudque  
nutanti conscientiae omnem dubitationem ex-  
emit, quod paulo post filiolarum ad lumen accen-  
sum videnti, atque alia omnia cogitanti obie-  
ctum spectrum, quo ita deterrita, atque vexa-  
ta est, vt eam nulla vestes, nulli recessus sa-  
tis abdere posse viderentur; cumque nulla vis  
morbi solito maior appareret, illico excessit e  
vita. tum vero pater accepit vexatione intel-  
lectum; vix albescente die, eum nostrum sacer-  
dotem adit a quo fuerat obiurgatus. suum  
fatetur scelus, seque in matrem commissa fla-  
gitia beneficijs, obseruantia, pietate compen-  
saturum pollicetur.

Quorundam beneuolentia atque  
liberalitas in Societatem.

**C**ardinalis Peluæus, Episcopus, atque  
Dux Ghisiae separatim inuiserunt Vi-  
redus-



redunense Collegium. eos honore debito excepimus.

Quo tempore Cardinalis Placentiæ Summi Pontificis in hoc Franciæ regno Legatus à latere nostrum Gymnasium, Collegium, templum inuisit, apud nos rem sacram facere, atque sumere prandium non recusauit. exceptus est quam magnificentissimo apparatu ingeniorum, quo vndequaque ipsa aula circumuestita collucebant. data Tragicomædia, orationibus habitis, poematis omnium generum, diuersorum linguarum, partim affixis, partim dictis summam se percepisse voluptatem, & præ se tulit, & apertissime professus est.

Parisiis adolescens quidam auditor philosophiæ, cum de eligendo genere vitæ deliberaret, rem cum Carthusiano monacho sibi familiariter noto communicat. cui ille. tu si quem religiosum ordinem complecti statuis. ne quem, nisi Societatem IESU complectere. a qua tot, ac tanti fructus in Ecclesiam proficiscuntur. ego quidem hoc meo instituto valde delector. me tamen haberet Societas, si illa ante cognita, vel si mihi res nunc esset integra.

Civiles bellorum tumultus, qui Galliam vniuersam peruaferunt, petierunt in primis Lutetiam urbem cæterarum caput. aditus omnes conuehendi comeatus hostes intercluserant. vnus relictus inopia pecuniæ, qua ipsi vicissim laborabant; quare annona commu-

tanda



58 PROVINCIAE FRANCIÆ  
tanda magno pretio . nostraque res non pecu-  
niosa eo redacta erat , vt inirentur de scholis  
abdicandis consilia . sed Deus inopinata ratio-  
ne prouidit . Socij nostri frater collegio debe-  
bat aureos octingentos . non persoluebat , ex-  
cusari belli incommodis . cum ad murum , vr-  
bemque muniendam exturbanda esset magna  
uis ædificiorum imminētium nostro pomerio ,  
euertenda fuit pars eius ædium , quæ , de mo-  
re , extimata prius est nongentis aureis . Pro-  
curator explicata inopia Collegij petit ab ad-  
ministratores ciuitatis , vt ex ea pecunia  
persoluant summam sibi debitam . ingentibus  
erat res obstructa difficultatibus , quæ transi-  
gi non poterat nisi assentirentur non tantum  
Præfecti , atq; curatores urbanae rei ; sed Præ-  
fecti rationum , præcipui , cuiusq; ordinis Col-  
legia , Senatus , Consilium magnum . sique no-  
bis assensum semel esset , eadem causa persol-  
uendi fuissent alij aurei plures centies milli-  
bus . id quod exhaustum ærarium ferre nequa-  
quam potuisset . diu noctuque orandum fuit ,  
atque circumcursandum . res tandem , annuen-  
te Deo , confecta est ijs legibus , vt quod tri-  
buebatur nostris in rempublicam meritis , id  
ne vocaretur in exemplum ; atque aurei cen-  
teni , præsentibus nobis pecunia numerarentur ,  
deinceps vero in singulos menses quinquage-  
ni , donec ad eam summam peruentum esset .  
opportunitatem fuit egestati nostræ subsidium ;  
gratum



gratum iudicium ciuitatis. si que statum illius ac tempora spectes, fuit omnino gratisimū.

Exitit quoque erga nos Innocent. ix. & opportuna, & proluxa ad eandem egestatem leuandam liberalitas; quando motu proprio & commodissimum Sacerdotiū à loco nostro non longe seiunctum attribui Collegio Parisiensi voluit. & quanquam ex eo propter potentiam quorundam, qui illud ambiunt sperare vix quicquam audeamus; paternus tamen Optimi Pontificis animus sempiterna nos animi grati memoria obligauit.

Ibidem, ne Sacerdos noster ius suum obtineret in bonis, quæ ad eum fratris vnici morte peruenerant, prouocauit ad Senatum Parisiensem; vt que probaret eum censendum esse tacite professum, cum annos aliquot vix sset in Societate, profert diploma illud amplissimum anni 1584. quo Gregorius xij. Pont. Opt. Max. humanissimus parens Societatis, nihil proferre poterat nostris, nostræque cause magis optandum. nam Senatus eo cupide perlecto planè edoctus est de illa distinctione religiosorum, & de tota instituti nostri ratione: quam ante incognitum, vehemēter probauit, cognouitq; quam falsa essent, quæ superioribus annis contra nos vulgus disseminauerat. quique sedebant iudices secundum nos sententiam singillatim in ea causa. dixerunt.

PRO.